



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAENEMO FERMESINITUR EPISCOPUS ŁOMŻENSIS IMAGINEM
B. VIRGINIS MARIAE,

QUAE IN SACELLO PAROECIAE PŁONKA KOŚCIELNA EXCOLITUR,

DIADEMATE CORONARE NOMINE ET AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS Ad perpetuam rei memoriam. – Nemo

ferme illis in locis invenitur quin ipse noverit non modo quantum erga Sanctissimam Iesu Christi Matrem amorem

cultumque praestare consueverit universa ecclesialis communitas Łomżensis, verum etiam quanta pietate ac

perseverantia frequentare idem clerus et populus soleat sacrarium gloriosae illius Deiparae Virginis apud paroeciam

Płonka Kaścielna intra Łomżensis dioecesis fines, quo proximarum etiam communitatum dioecesanarum pii se identidem

conferunt peregrinatores. Ut igitur spectata iam haec religio luculentiore quodam documento decoraretur ac veluti

posteris fidelibus commendaretur efficacius, Ordinarius ipse Łomżensis Venerabilis Frater Iulius Paetz ab hac suo

tempore Sede Apostolica expetivit sibi ut Mariale simulacrum istius sanctuarii coronare liceret pontificis nomine nutuque.

Quandoquidem exploratissima Nobismet ipsis et convenientia rei est et utilitas in animarum salutem Ecclesiaeque

Catholicae confirmationem, nihil profecto accedere cunctamur ad petentis Praesulis preces. Suscipientes igitur

secundam Sacrae Congregationis pro Cultu Divino sententiam hac de re perquam Nos libenter concedimus sacrorum

Antistiti Łomżensi ut aliquando inter Missae sollemnia statis ritibus auctoritate Nostra et voluntate imponat magni pretii

diadema ipse Virginis Mariae effigiei quae in sacello paroeciae Płonka Kościelna ibidem religiose excolitur. Quod dum

propenso animo privilegium concedimus, confidimus pariter futurum et magnum incrementum inde recipiat Mariana

Łomżensium aliorumque fidelium propinquorum pietas ac maiorem simul fervorem eorum concipiat christiana omnium

fides et actio cotidiana. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVII mensis Decembris anno*

MCMLXXXIV, Pontificatus Nostri septimo. AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright

1984 - Libreria Editrice Vaticana
